



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

3. Virtutis calcar præmia. Aurei velleris origo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Silius :

----- Explorant adversa viros.

Et Seneca Tragœdus :

Virtutis est domare, quæ cuncti pavent

Nam Philosopho Romano teste : Non quia difficilia sunt, multa non audemus : sed quia non audemus, difficilia sunt.

II. (b) Sed tamen sine Medæ consilio, nihil præstitit Æsonides noster. Horatius canit, *Mole ruit sua, vis consilii expers.* Hoc per Medeam significatur; est enim *μῆδος cura, consilium*, à *μῆ-δουα* curam gero; delibero, meditor, provideo, prospicio. Sine consilio & ratione prudenti impetus omnis, etiam in honestissimis caloribus, in ventos effunditur. Temeritas, inquit Curtius lib. 4. ubi primum effudit impetum, veluti quædam animalia, amisso aculeo, torpet. Et licet initio felicitas aspirare videatur, ad ultimum tamen temeritati non sufficit. *Medea* ergo jungenda *Iasoni*, & *Diomedis* sociandus *Ulysses*. Nulla sine sapientia fortitudo; vacillant vires, nisi consilio fulciantur. Etiam bestię ruunt in pugnas, sed cæcas. S. August. epist. ad Hieron. Qui vera virtute fortis est, nec temerè audet, nec inconsultò timet.

III. (c) Calcar ad virtutem erant Iasoni præmia, juxta Poëtam :

----- Quis enim virtutem amplectitur ipsam.

Præmia si tollas ?

Et alius ?

----- Laudatæque virtus

Crescit, & immensum gloria calcar habet,

Delectet, inquit D. Gregorius hom. 17. in Evang. mentem magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum. Iasone Duce, Virtute Comite, Gloria Auspice, fortissimi quique Græciæ juvenes, Argivæ robora pubis, & heroum genus, ut Catullus loquitur, incitati sunt ad fortitudinis eximium Decus longinquis è terris per mille pericula quærendum. Tanti est, incitamentum laboris ab exemplo & præmiis sumere. Iasonem imitatus est Philippus cognomento *Bonus*, Burgundiæ Rex, & Dux Brabantia, qui anno Christi 1429. (d) Ordinem ac Societatem Equestrem instituit, è viris nobilitate & opibus, clarissimis, quam *Aurei Velleris* appellavit. Illius insigne: Torques aureus, cum ignitabuli figura, scintillas de filice excutientis, dependente imagine sive Arietis Phrixæi, sive Agni Gedeonici, cum inscriptione: *Præmium non vile laborum.* Munus enim & partes horum sunt magnatum, Catholicam fidem armis tueri ac propagare, Christianæ

(b) Virtutis comes Prudentia (c) Calcar virtutis sunt præmia. (d) aurei velleris ordo.

Christiana tranquillitatem Reipublicæ defendere ac conservare: quòdque per ignitabulum innuitur, hostes orthodoxi nominis *fulgure terrere, fulmine ferire*. Aliquis hoc lemma affigit: *antè ferit, quam flamma micet*. Significat egregios animos Deo incitante cœlestes amoris flammæ ad defensionem religionis concipere, quibus inflammati, præclara obeunt facinora, & sibi ad vellus aureum, an potiùs ad beatam immortalitatem viam muniunt. Quos

Ardens exivit ad athera virtus.

Et quia hîc nobilitatis fit mentio per virtutem adeptæ, perque virtutem conservatæ, rectè quidam ait: Non illa homine Nobili dignæ laudes sunt, si formosus videatur; hoc muliercularum est. Non si robur & vires efferantur: athletarum est. Non si divitiæ prædicantur ab omnibus: negotiatorum est. Sed illa vera laus est nobilitatis, si plurima sapiat, præterita respiciens, futura prospiciens. Ipse investiget, & vel faciat, quæ legant alij: vel legat, quæ fecerunt. Aliud est sanguinem, aliud virtutem propagari. Tituli & honores quid nisi arbitria fortunæ, non argumenta virtutis, quæ Majorum gestis, non suis incubat?

IV. (d) Jam verò, quid *Tauri* sunt *aripedes*, naribus ignem efflantes, & à *Jasone* sub aratri jugum missi? quid ferrea armatorum *seges* de serpentinis dentibus enata, & in seipsam adversis hastis conversa?

Quando gravem medios jaculatus in hostes.

Est *Jason*. quid *Draco* pervigil arboris aureæ, unde vellus suspensum, custos? Nimirum per hæc denotantur pravi affectus, indomitæ cupiditates, efferatæ concitationes animi, quibuscum viro forti pugnandum est, & victoria referenda. Hic locum habet illud *Sapient. c. 10. Certamen forte dedit illi, ut vinceret*. Pugna sanè ardua, & magnos etiam heroas sternens. Nam *qui dominatur animo suo, major est expugnator urbium*. *Prov. 16.* Id etiam *Ethnici* suspexere. *Naso*:

Fortior est, qui se, quam qui fortissima vincit
Mœnia.

Et:

Audax res vicisse alios; victoria major

Est animi fluctus composuisse sui.

Quantus expugnator urbium *Alexander ille Magnus*? Totius terrarum orbis victor sibi ipsi succubuit. Sapienter de illo *Arrianus lib. 4. vitæ*: *Alexandri præclara facinora documento esse possunt, sive quis corporis viribus polleat, sive generis splendore emicet, sive bellica vir-*

C e

tute,

(d) *Victoria sui.*